



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

X. De Relatione Conciliorum Generalium ad Summum Pontificem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

tiam Gallicanorum & Africanorum Episcoporum, potestas Romanæ Ecclesiæ asseritur, eique plenissima executionis cura demandatur: *Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelate consistentem à re litera; quibus absente Marciano, alius in locum ejus substituantur.* Nulla industria Novatores hoc testimonium Cypriani elevare possunt. Futilis est enim illa responsio, non deponi à Stephano Marcianum, sed deponendum declarari. Quinimo conceptis verbis Cyprianus exigit à Stephano, ut suis literis Marcianum damnet, atque adeo alium substituendum decernat.

IX. Veteri consuetudini à Concilio Nicæno firmata successit Concilij Sardicensis Decretum, quo appellationibus ad Romanam Ecclesiam modus quidam est præscriptus. Galliarum Episcopi ut Relationibus suis debitum officium apostolicæ sedis ante Nicænum Concilium impenderunt, ita & appellationibus damnatorum post Concilium Sardicense non obstiterunt. Id docet Leo I. in epistola ad Episcopos provincie Viennensis: *Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia à vestra etiam provincie Sacerdotibus innumeris Relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo prescebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicium.* Quæ apud Gallias à primis Ecclesiæ temporibus viguit hac in parte Romanæ Ecclesiæ auctoritas, locum suum etiam hodie apud nos obtinet; redintegrato aliqua ex parte usu Concilij Sardicensis, ut alibi dicitur. \*

\* Nimirum toto libro septimo hujus operis.

X. Alia est Relationis species, qua Synodi Generales utebantur, ut rerum gestarum seriem apostolicæ sedis per literas insinuarent; quibus Romani Pontificis consensum & exequendi curam petebant. Extant in eo genere officij, Synodi Arelatenfis ad Silvestrum, & Sardicensis ad Iulium epistolæ; item secundæ Synodi, & sequentium Conciliorum, unde patet eo proposito missas, ut debita sedis apostolicæ reverentia servaretur. Quare Concilij Sardicensis Patres Relationem illam ex officio debere satis significant, his verbis: *Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videtur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini refrant Sacerdotes.* Orientalium quoque Episcoporum relationem synodicam de Apollinaris hæresi ad se missam ita Damasus excepit ac si debitum sedis apostolicæ munus exsolvisset. Quod testantur epistolæ Damasii ad Orientales prima verba apud Theodoretum: *Quod vestra charitas debitam*

Synodica epist. Concilij Sardic.

*sedis apostolicæ reverentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est.* Sed de consensu Romani Pontificis, qui rectè etiam apud veteres Confirmatio dicitur, quatenus necessarius esse censeretur, alibi accuratè dicendum est, & de more mittendorum fidei Decretorum ab Occidente in Orientem, & vice versa, quem Synodus Chalcedonensis commendat in Prospinetico sermone ad Marcianum Augustum.

## CAPVT XI.

## Synopsis.

I. Persona Pontificis à nemine judicatur, ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Entodio. Quia Romanus Episcopus est Caput omnium Sacerdotum.

II. Eadem Ecclesia Gallicana sententia in causa Symmachi; imò pietas major quam Romana Synodi, ex Avito.

III. Antiqua regula, majorem sedem à minore non judicari, ex Cyrillo, Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, & Pelagio.

IV. Inde fluxit vulgatum illud, Primam sedem à nemine judicari, in Actis dubijs Sinuesane Synodi; Et in Canonibus Silvestri, rejectis ab Hincmaro.

V. Discussus locus epistolæ Concilij Romani de Damaso apud Concilium aut Consistorium Principis judicando.

VI. Romanum Pontificem à nemine judicandum professus est Carolus M. & ceteri Galli in Synodo Romana. Purgatio Leonis Pape, & Paschalis.

VII. Privilegium illud Romanæ sedis confirmatum ab Octava Synodo. Joannis XII. ex auctoritate reprobata. In causa hæresos & schismatis cessat privilegium.

VIII. Ecclesia Gallicana canones Basiliensis Concilij suscepit; sed Eugeny Pontificis depositioni & electioni Felicis non adhaesit.

IX. Pontifex ab Episcopis moneri potest, & satisfacere tenetur. Ex Octava Synodo, & Petro Damiani.

I. **P**RINCIPEM legibus solum esse, eo sensu, ut etsi in leges impingat, poenis legum coerceri non possit, communis est Theologorum & Iuriconsultorum sententia; ita ut subditi, qui de Principis statu aliquid decernere sibi liberum esse putaverint, lege Julia majestatis teneantur. In hunc quoque dignitatis gradum adscitum fuisse Romanum Pontificem, Galliarum Reges & Episcopi unà cum ceteris sæpissime censuerunt. Symmacho à Clericis Ecclesiæ Romanæ de criminibus atrocissimis accusato, & ab episcopatu per vim depulso, Theodoricus Rex Italiæ cogit plenariam synodum omnium regni sui Sacerdotum, accedente ipsius Symmachi consensu. Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiæ Episcopi